



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio LXXIX. De effectibus Sacramenti Eucharistiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

ferens taceat. Si verò intelligatur quòd obiectum prius naturà, vel ratione sit per respectu ad durationem, quæ determinatur per copulam, vel ex conditione extremorum, vel ex intentione dicentis, verum est, idque in præsentii inuenitur: nam prius est ratione corpus Christi esse sub speciebus panis in fine orationis, quàm illud ipsum per talem orationem speculatiuè verè enuntiari. vnde

Notandum duplicem veritatem, quæ potest distinguì in huiusmodi propositionibus, diuersimodè se habere respectu corporis Christi, quod enuntiat præsens sub speciebus panis, vel respectu sanguinis, qui enuntiat præsens sub speciebus vini: nam propositiones prius sunt veræ practicè, quàm sit corpus Christi; speculatiuè verò prius est ratione esse corpus, vel sanguinem sub speciebus, quàm censeantur esse veræ: ideo enim sunt veræ speculatiuè, quia corpus vel sanguis sunt sub speciebus in fine orationis.

D V B I V M II.

Utrum forma consecrationis causent suum effectum quatenus veræ, an alia ratione?

39.

Caiet.
Sotus.

CAJETANVS hic, & Sotus dist. 11. quæst. 1. art. 5. sub finem censent causare, vt veras practicè. Sotus vero dist. 8. quæst. 2. §. *aliter ergo*, post medium censet causare ratione significationis, cuius sententiam amplectuntur plerique alij, iuxta quam

Dico, formæ consecrationis sunt causa conuersionis panis & vini in corpus & sanguinem Christi ratione significationis, quæ est ratio quædam communior & abstractior quàm veritas vel falsitas.

Probat ex ratione generali, quâ Sacramenta ponuntur in genere signi, ergo causant, in quantum sunt signa, & proinde per suam significationem. Confr. Flor. docet *Sacramenta nouæ legis causare gratiam, quam significant*. quibus verbis indicat vim respectu gratiæ competere Sacramentis ratione significationis, ita vt materia, & forma cum significatione sint assumptæ ad gratiam produendam, igitur in præsentii dicendum verba consecrationis esse causam conuersionis ratione significationis. Probat 2. ex Trid. sess. 13. cap. 3. docente corpus Christi esse sub speciebus panis ex vi verborum, quod perinde est, atque ex significatione verborum, igitur verba ratione suæ significationis sunt causa conuersionis panis in corpus Christi.

Obiectio.

Dices idem Concil. sess. citata cap. 4. inde deducit fieri conuersionem totius substantiæ panis in corpus Christi, quia Christus verè dixit id, quod offerebat, esse corpus suum, ergo censet verba causare vt veræ.

Resp.

Resp. neg. consequentiam, quia collectio est à posteriori, hoc modo: Christus verè dixit id, quod offerebat, esse corpus suum, ergo est, in qua collectione antecedens non est causa consequentis, sed est causa, cur ita colligere possimus, etiam si à posteriori.

Obijcit Sotus nullam esse orationem, quæ non sit veræ, vel falsæ.

Resp. id non obstat quo minùs oratio spectari possit secundum aliquam aliam rationem, secundum quam ei competat aliqua denominatio, & virtus ex deputatione alterius, scilicet secundum significationem, non quòd illa differat à veritate vel

falsitate, tanquam res à re, sed tanquam conditio eiusdem rei ab aliâ conditione, quidquid demum sint huiusmodi conditiones, & quomodo cumque inter se distinguantur.

Dices, si verba essent falsa, non causarent.

Resp. inde tantum sequi, quòd in oratione necessario resulter veritas, ex eo quòd causet, per quam à posteriori ostendi possit, quòd causet, non verò sequi quòd ipsa veritas sit ratio causandi. & certè cum implicet esse corpus Christi, & orationem id enuntiantem esse falsam, mirum non est, quòd, si oratio esset falsa, non causaret, quia alioquin sequeretur duo contradictoria esse veræ, cum ex eo quòd esset falsa, corpus Christi supponeretur non esse sub speciebus, ex eo autem quòd oratio causaret, sequeretur sub ipsidem speciebus constitui, quod apertam inuoluit contradictionem.

Petes ergo, an nullo modo dici possint causare, vt veræ practicè?

Resp. nisi vis fiat in verbis, dici posse, quia illa loquendi formà non ineptè designatur, quòd causet seu efficiant quædam modum enuntiant. quia ergo efficiunt significando, dicuntur causare, vt significatiuè, quia verò efficiunt, quòd significant, & quemadmodum significant, possunt dici efficere, vt veræ practicè, ex quâ efficientiâ, & positione corporis Christi resultat in propositione veritas speculatiua, quæ est conformitas orationis cum re.

ARTICVLVS VI.

Utrum forma consecrationis panis consequatur suum effectum, antequam perficiatur forma consecrationis vini?

SANCTVS Thomas in corpore refert aliquos id negantes.

Sed eius conclusio est affirmatiua, quæ est certa, & patet ex vsu Ecclesiæ: nam post consecrationem panis, ante consecrationem calicis hostia proponitur adoranda, idem patet ex eo quòd forma consecrationis panis suam habeat significationem perfectam independentem à forma consecrationis calicis, quæ, vt sit veræ, postulat, vt saltem in fine orationis sit corpus Christi sub speciebus.

QVÆSTIO LXXIX.

De effectibus Sacramenti Eucharistie.

ARTICVLVS I.

Utrum per hoc Sacramentum conferatur gratia?

INTELLIGITVR de gratiâ habituali, seu sanctificante.

Conclusio est affirmatiua, quæ patet ex Ioannis 6. qui manducat me, & ipse

viuet propter me, vbi Christus vult manducantes eius carnem victuros vitâ spiritali, quæ non est sine gratia. patet etiam ex eo quòd Sacramenta nouæ legis gratiam sanctificantem conferant.

Idem

Idem ostendit D. Th. quatuor congruentijs. Prima, quod Christus sit in hoc Sacramento, qui in animam veniens vitam gratiae operatur. Secunda, quod in hoc Sacramento representetur Christi passio. Tertia, quod hoc Sacramentum tradatur per modum cibi, & potus, & proinde quemadmodum cibus corporalis sustentat, augeat, reparat, delectat, ita hoc Sacramentum consumiles in animam operetur effectus, quod non sit sine gratia. Quarta, quod species, in quibus hoc Sacramentum traditur, designent charitatem, cum panis ex multis granis conflet, & vinum confluat ex multis acinis.

Notandum 1. licet in corpore solum videatur in genere docere gratiam sanctificantem in hoc Sacramento conferri, conclusionem tamen intelligi de gratiae augmento, non vero de prima gratia, per se loquendo, ut patet ex respons. ad 1. ubi dicit: *resistitur, ut, cum ipsum Sacramentum realiter sumitur, gratia augeatur, & vicia spiritualis perfectiatur.* Ratio est quod hoc Sacramentum sit institutum, ut sit spiritualis cibus animae, & per consequens ex sua institutione supponat vitam spirituales in animam, unde dicitur Sacramentum viuorum.

Quoad augmentum gratiae habitualis res ita certa est, ut de illa iam non liceat dubitare, (quamvis aliqui id negauerint) nam Florent. decreto de Sacramentis ponit effectum huius Sacramenti adunationem hominis ad Deum, addens: *& quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris eius coniungitur, sequitur quod per hoc Sacramentum in sumitur digna gratia augeatur.* ubi agi de gratia habituali patet, quia agitur de ea gratia, quam Concil. initio illius decreti docuit per Sacramenta novae legis conferri, quae omnium iudicio est habitualis.

Confir. praecise per auxilia actualia gratiae praevientis non dicimus adunari Deo, & Christo incorporari, sed per gratiam habituales, quae est forma, per quam iusti & amici Dei constituimur. Idem patet ex Trident. sess. 7. can. 6. 7. & 8. de Sacramentis in genere.

Ex eadem responsione ad 1. Notandum 2. aliter hoc Sacramentum concurrere ad gratiae augmentum, quam Confirmationem. nam in Confirmatione gratia augeatur ad persistendum contra exteriores impugnationes inimicorum Christi, per hoc vero Sacramentum augeatur ad hoc, ut homo in seipso sit perfectus per coniunctionem cum Deo.

Ex quo habemus hoc Sacramentum esse institutum ad charitatem, & unionem cum Christo servandam & ad excitandum fervorem charitatis: peculiariter etiam per hoc Sacramentum quidam gustus spiritualis, & suavitatis animae conceditur, quam si homo non sentiat, non contingit defectu Sacramenti, sed quod interdum per peccatum obicem ponat, vel interdum illam negligat, vel Deus iustus de causis illam subtrahat ad maiorem hominis utilitatem.

Ex quo patet ratione huius Sacramenti conferri auxilia gratiae praevientis ad hos fines opportuna.

Verum per unam communionem ceteris paribus maior gratia recipiatur, quam per receptionem aliorum Sacramentorum, diximus quaest. 62. art. 1. dub. 2.

D V B I U M I.

Quanam dispositio requiratur in iusto ad augmentum gratiae per hoc Sacramentum acquirendum?

Dico in iusto, quia an aliquando in peccatore primam gratiam conferat, & quena ad hoc requiratur dispositio, disputabitur in sequentibus. de praesenti quaestione tres sunt sententiae.

Prima requirit affectum devotionis ortum ex pia aliqua consideratione. tenet Durand. dist. 12. quaest. 4. Palud. quaest. 1. art. 2. conclus. 3. & alij.

Secunda sententia hunc devotionis motum requirit in ipsamet sumptione. Caiet. hic. Alij, quavis devotionem actualem non requirant, censent tamen necessarium, ut nullum veniale peccatum in ipsa sumptione interueniat.

Tertia censet sufficere statum iustificationis per modum dispositionis, ita ut homo iustus, qui ad hoc Sacramentum accedit, censetur legitime dispositus ad fructum eius percipiendum per ipsam habituales gratiam sine ullo ulteriori devotionis affectu. ita D. Th. art. 8. huius quaest. in corpore & ad 1. Vict. num. 76. & plures alij.

Notandum saluberrimum esse consilium ante sumptionem huius Sacramenti, immo & in ipsa sumptione sese ad devotionem excitare, tum quia id est conveniens dignitati Sacramenti, tum quia saltem est utile ad fructum vberiore per hoc Sacramentum recipiendum.

Dico, ut iustus per receptionem Eucharistiae obtineat gratiae augmentum, non est opus alia dispositione quam gratia habituali.

Probatur 1. olim hoc Sacramentum dabatur infantibus ante usum rationis, ergo Ecclesia censet nullam requiri dispositionem actualem, sed sufficere habituales, ut quis per hoc Sacramentum augmentum gratiae recipiat, cum censeret illos infantes esse capaces huius Sacramenti, aliis gravissimum sacrilegium commisisset conferendo Sacramentum ei, qui nullo modo est capax fructus eiusdem, & proinde deberet etiam sentire, quod gratia habitualis sufficeret in recipiente ad fructum huius Sacramenti recipiendum.

2. Vsu Ecclesiae & communi sensu Doctorum, si quis incidat in amentiam, qui ante pie, & laudabiliter vixerit, quantumvis non petierit expresse hoc Sacramentum, nec vlla devotionis signa ediderit in ordine ad hanc Eucharistiae sumptionem, potest viaticum ei ministrari si non sit periculum irreverentiae per vomitum &c. quia videlicet vita antea laudabiliter acta censetur hoc Sacramentum petiisse, ergo Ecclesia sentit aliquem legitime disponi per gratiam habituales ad fructum huius Sacramenti recipiendum, alioquin non conferret adulto eo casu, quo scit illum esse incapace ulteriori dispositionis, propter rationem allatam. ex his duobus mediis clare constat actualem devotionem non esse necessariam necessitate medij, ut hoc Sacramentum suum effectum conferat.

3. Reliqua Sacramenta minorum exigunt huiusmodi actualem dispositionem, ut suum effectum conferant, nec potest solida ratio assignari, ob quam hic potius requiratur, quam in alijs Sacramentis.

Confir. 1. carentia devotionis non magis potest dici obex respectu gratiae per hoc Sacramentum conferendae, quam respectu gratiae conferendae

Prima sententia, requirit affectum devotionis.
Durand.
Palud.
Secunda, requirit dictum affectum in sumptione.
Caiet.
Tertia, sufficere statum iustificationis.
D. Th.
Vid.

Conclus.
sufficit gratia habitualis.
Prob. 1.

Prob. 2.

Prob. 3.

per alia Sacramenta, cum neque ex vilo Concilio, neque ex sensu Ecclesiae appareat huiusmodi diuersitas; Sacramenta autem infallibiliter conferunt gratiam non ponenti obicem, ut patet ex can. 6. de Sacramentis in genere, sess. 7. Concil. Trid.

Confir. 2. si sit obex, ergo qui cum tali indeuotione, & distractione accedit, accedit indignè, & peccat mortaliter; nam is censetur indignè accedere ad Sacramentum, qui ponit obicem primario saltem eius effectui, qualis est gratia respectu huius Sacramenti: qui autem accedit indignè, per se loquendo peccat mortaliter, quod peculiariter patet in hoc Sacramento ex Apostolo 1. ad Cor. 11. dicente: qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit: atqui auctores primarum sententiarum non censent carentiam deuotionis esse sufficientem causam peccati mortalis, unde minus conformiter loquuntur.

Prob. 4. ex
Trident.

Probatur 4. Concil. Trid. sess. 13. cap. 7. & can. 11. agens de preparatione necessaria ad Eucharistiam dignè recipiendam dicit: quare communicare volenti reuocandum est in memoriam eius praeceptum: probet seipsum homo; ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse; ut nullus sibi conscius mortalis peccati quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacramentum Eucharistiae accedere debeat. quo loco videtur ponere dispositionem necessariam iure diuino, ut quis censeatur dignè ad hoc Sacramentum accedere, & tamen in iusto nullum requirit deuotionis actum.

Dices Concilium omittere illam conditionem, quia non est necessaria deuotio in iusto ut non peccet, quemadmodum necessaria est in peccatore contritio, & confessio.

Sed ex dictis constat quod si indeuotio in iusto impediatur infusionem gratiae, ea sit causa cur indignè accedat, & proinde sit peccatum mortale, cum indignus accessus ad Sacramentum per se sit mortale.

Prob. 5.

5. Non est verisimile Christum requirere ad fructum huius Sacramenti percipiendum conditionem, quam homo ex humana fragilitate frequenter praestare nequit etiam inculpate. Neque ea conditio requiritur ex rei naturâ, etiam suppositâ institutione Eucharistiae.

Aduerte quod sit probabile eo maiorem gratiam per hoc Sacramentum conferri, quo maior est in recipiente gratia habitualis, nam talis maior gratia videtur esse praestantior dispositio, quemadmodum dispositio potest esse praestantior ex eo quod cum gratia habituali concurrat actualis deuotio.

Corollar.

Ex his sequitur 1. iustum accedentem ad hoc Sacramentum etiam cum distractione recipere augmentum gratiae, quantumvis distractio perseueret etiam in ipsa actuali sumptione.

Coroll.

Sequitur 2. eundem recipere gratiae augmentum, quamuis peccet venialiter in ea distractione. tenent D. Th. Vict. locis citatis, Sotus dist. 11. quaest. 2. art. 8. & alij multi: nam peccatum veniale distractionis non tollit gratiam habitualement, & proinde non tollit dispositionem sufficientem, ut gratia per hoc Sacramentum conferatur.

Confir. affectus venialiter malus concomitans non obstat quo minus iustus per aliquem actum honestum mereatur, potest enim aliquis mereri piâ voluntate subleuandi miseriam proximi, qui aliunde peccet venialiter motu vanae gloriae de doctrinâ; ergo etiam iustus accedendo ad

hoc Sacramentum potest gratiam recipere, licet concomitanter peccet venialiter, cum per talem venialem effectum non ponat obicem receptioni gratiae, in genere loquendo.

Dices, non ponere quidem, loquendo in genere, ponere tamen respectu gratiae per hoc Sacramentum acquirendae.

Sed contra faciunt pleraque argumenta allata. 1. quod non appareat, ex quo capite talis obex ponatur in hoc Sacramento, cum neque ponatur ex rei naturâ, neque ex positua Christi voluntate. 2. quod inde sequeretur peccatum aliâs veniale propter hanc circumstantiam futurum mortale, quod falsum est; cum nullus sentiat peccatum veniale distractionis, vel alterius rationis esse mortale, si committatur in receptione Eucharistiae.

Obijciatur 1. quod Eucharistia conferat suum effectum per modum cibi, & potus, cibis autem corporalis non nutrit sine actu fumentis.

Resp. magnam esse diuersitatem inter hunc cibum, & corporalem, corporalis enim nos nutrit per conseruationem sui in substantiam aliti, quod non provenit effectiue ab ipso cibo, sed debet provenire ab eo, qui nutritur, virtute caloris naturalis, cuius operatio requiritur ad nutritionem, & ut cibis conuertatur in substantiam aliti: effectus verò huius cibi spiritualis non provenit ab ipso recipiente, sed ab ipso cibo operante, atque ita non sequitur ad fructum huius Sacramenti percipiendum requiri interdum quandam calorem fumentis per actus deuotionis: sufficit enim voluntas interpretatiua, per quam velimus hoc Sacramentum nobis applicari, quod ex opere operato gratiam confert ei in quo non inuenit obicem, quem obicem non ponit vel ratione carentiâ deuotionis, vel ratione peccati venialis commissi in susceptione, ostendimus.

Obijciatur 2. quod Patres magnam requirant deuotionem in accedente ad hoc Sacramentum.

Resp. requirere non tanquam necessariam dispositionem ad gratiam recipiendam, sed exhortando ad id quod dignitati huius Sacramenti est maxime conueniens.

Peres utrum iustus accedens ad hoc Sacramentum ex vanâ gloriâ, sit recepturus augmentum gratiae habitualis?

Notandum duobus modis posse contingere, ut quis cum motu vanae gloriae communice, vno cum accedit ex piâ, & honesta voluntate ad hoc Sacramentum, ut fructum ex eo percipiat, & notans suam pietatem in ea sibi ablanditur, cupitque notari ab aliis, quod frequenter communice, &c. & inde laudari: hoc casu fructus communionis non impeditur, ut constat ex dictis, quia motus vanae gloriae concomitans non impedit, quo minus voluntas per se honesta, & supernaturalis sufficiat cum iustitiâ habituali, ut Sacramentum ex opere operato suum effectum conferat. Altero modo potest contingere ut quis sibi proponat vanam gloriam finem communionis, ita ut moueatur ad communicandû, ut ab aliis pius habeatur, de quo casu maior est difficultas. nam ex vna parte non videtur impedi, cum, ut ex dictis patet, per peccatum veniale non impediatur gratiae infusio, ad quam iustus per gratiam habitualement legitime disponitur, ut ostensum est; ex alterâ tamen parte vana gloria facit, ut talis voluntas sit peccatum, & actus naturalis, in quo nihil potest supernaturale, & honestum inueniri: nam quamuis obiectum sit supernaturale, ipsa tamen entitas actus non potest dici

dici supernaturalis, cum sit mala, quod videtur repugnare entitati supernaturali.

Nec dici potest quod sit supernaturalis, ut est à diuino auxilio, naturalis, ut ex prauo fine procedit; quia una & eadem simplex entitas non potest in se habere huiusmodi rationes, cum supernaturalitas in actu non sit solum conditio quaedam in actu per respectum ad causam, sed est ipsa entitas & substantia actus: si ergo repugnet alicui actui ex parte alicuius esse supernaturalem, illi absolute repugnabit, & proinde nullo modo dicendus erit supernaturalis.

Quod si actus sit naturalis, non potest esse idoneus ad salutem, & per consequens talis voluntas non potest sufficere, ut cum Sacramento, & per Sacramentum consequatur gratiae augmentum.

Probat ex cap. 7. Concil. Arauscani 2. in quo definitur quod non possimus per naturae vigorem bonum aliquod, quod pertinet ad salutem vitae aeternae, eligere, seu pertinens ad pietatem; tale autem opus pertineret ad salutem & pietatem, quatenus ex eo moueremur ad gratiam per Sacramentum consequendam.

Confir. talis actus non potest dici utilis ad salutem, cum non possit dici esse ex gratia Christi. Propter hoc, qui ita accederet ad Sacramentum non videtur gratia recepturus, quamuis enim videatur dispositus, id est habere gratiam habitualement, quia tamen non adfert actum ex generali ratione necessarium, ut vel ex opere operantis, vel ex opere operato gratia possit obtineri, id est, non ponit vllum actum supernaturalem quo velit hoc Sacramentum, ideo non videtur ratione Sacramenti gratiam recepturus.

Dices hinc videretur sequi quod mortaliter peccaret.

Resp. ita esse, & dico quod actus ex proximo obiecto aliquo venialiter malus, sortiatur malitiam mortalem ex circumstantia effectus, nimirum eo quod talis actus sit causa, cur Sacramentum suo effectu priuetur.

Aduerte tamen in praxi hominem ex eo capite moraliter loquendo non videri mortaliter peccare, quia inter Christianos non videtur vquam ita accedere ad hoc Sacramentum ex vanâ gloriâ, ut nullum alium actum habeat, quo desideret confusum fructum huius Sacramenti, & quo velit ad hoc Sacramentum accedere tanquam ad medium, quo gratia comparatur, sed communiter homo accedit ex confusâ saltem voluntate fructus alicuius spiritualis percipiendi, quamuis interdum concomitanter affectus vanae gloriâ irrepit, qui alium actum & receptionem huius Sacramenti non ita inficit, ut propterea homo fructu Sacramenti priuetur.

DVBIVM II.

Quandam conferatur gratia ratione sumptionis huius Sacramenti?

Hic reiiciendus est modus, quo videri posset Sacramentum gratiam conferre, quando homo est optime dispositus: certum enim est, ut Sacramentum suum effectum conferat, non esse expectandam optimam dispositionem, sed sufficere legitimam, quantumque ea sit, neque aliquid peculiare in hoc Sacramento dici potest cum fun-

damento. Confir. à parte rei debet dari certa aliqua mora, quâ conferatur infallibiliter effectus homini disposito, nec potest dici, quod Deus in conferendâ gratiâ Sacramentorum incertos euentus expectet, igitur dicitur planè voluntariè, & absque vlllo fundamento, quod gratia conferatur, quando homo est optime dispositus. hoc modo reiecto

Tres possunt esse modi dicendi. Primus, quod gratia conferatur, quando species in stomachum sunt traiectae. Secundus, quod conferatur, in ipso motu traiectionis per guttur. Tertius quod conferatur cum primum aliqua pars specierum pertingerit ad terminum diuidentem internum spatium, in quo fit manducatio, ab externo. In hac re sub-

obscura Tertius modus dicendi videtur ceteris probabilior; quia & ponit gratiam conferri in instanti, quod est magis consentaneum eius productioni, cum gratia habeat totum suum esse simul, & conformiter naturae suae postulet produci in instanti; & etiam ostendit quomodo conferatur ratione manducationis. pro quo

Suppono gratiam in hoc Sacramento conferri ratione manducationis, ut patet ex cap. 6. Ioannis: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam. item: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo &c. Porro, quamuis quando cibus materialis pertingit ad partem instrumentorum manducationis, à quâ incipit traiectio ab ore in stomachum, non dicatur manducari quoad motum localem; potest tamen dici manducari in quantum quoad vim agendi, & patiendi incipit applicari, consimili modo Eucharistia potest dici manducari, quando pars specierum pertingit ad illud instrumentum, & proinde commode dici potest quod gratia tunc conferatur etiam antequam species in stomachum traiectae sint.

Confir. primus modus ex eo redditur minus probabilis, quod omnium iudicio aliquis censetur communicare, antequam species in stomachum sint traiectae; ergo antea debet gratia recipere. 2. iuxta eundem modum, si species corrumperentur, antequam peruenirent ad stomachum, non conferetur gratia: similiter si homo moreretur antequam species transmissae essent, quod videtur alienum à communi sensu.

Ex dictis sequitur, quod gratia conferatur, si hostia vsq; ad illum terminum pertineat, quamuis aliquo casu non transmittatur in stomachum, siue quia hostia reiicitur, siue quia traiectio naturaliter secutura impeditur, siue quia homo moritur antequam hostia possit transmitti in stomachum.

Nec obstat quod cibus materialis non nutriat antequam perueniat ad stomachum, quia ut nutriat debet conuerti in nostram substantiam, idque virtute naturali ipsius fumentis, quod fieri non potest, antequam perueniat ad stomachum; Christus verò in hoc Sacramento potius nos conuertit in se per gratiae collationem, ad quod non est opus, ut ad stomachum perueniat, cum & antea dicatur manducari, & gratiam conferat ratione manducationis.

Tres modi dicendi.

Tertius probabilior.

10.

Gratia confertur ratione manducationis. Ioan. 6.

Primus modus improbabilis ostenditur.

Coroll.

Differentia huius cibi à cibo communi quoad nutritionem.

D V B I V M III.

Virum Eucharistia aliquid gratia conferat quamdiu est in stomacho?

II.

Sensus dubij.

EXTRA controuersiam est, si legitime disposito gratiam contulerit, qui non perseueret in actuali deuotione, nihil amplius conferri, eo quod species in stomacho permanent.

Controuersia uero est, num, si is perseueret in deuotione, vel interruptam resumat, quamdiu species manent incorruptæ in stomacho, sit recepturus aliquid gratiæ ultra id quod per sumptionem recepit. Qua de re duplex est sententia.

Prior asserit, Caiet hic, & alij.

Prior sententia asserit.

Caiet. Posterior negat. V. a. g. D. Thom.

Posterior negat, Sotus dist. 11. quæst. 2. art. 1. Vasquez disp. 203. cap. 2. num. 20. fauetque D. Th. quæst. sequenti art. 8. ad 6. Iuxta hanc sententiam gratia habitualis ita tribuitur certo tempore, vel instanti, ut postmodum propter præsentiam corporis Christi in stomacho nulla fiat eius accessio ex opere operato, quantumcumque perseueret deuotionis affectus: iuxta priorem uero gratia etiam ex opere operato augetur, si remanentibus speciebus post manducationem perseueret vel repetatur deuotio.

Porro inter eos qui priorem sententiam sequuntur aliquis est diuersitas; nam aliqui existimant non augeri gratiam ex opere operato, nisi crescat deuotio. alij probabilius censent, etiam inuariatâ manente deuotione quoad intensiorem, augendam gratiam, quod uidetur sentire Caiet. quatenus absolute censet crescere gratiam propter præsentiam corporis Christi in stomacho, solum requirens deuotionem, ut homo sit capax effectus Sacramenti, & seposito principio Caietani patet, quia quo diutius durat deuotionis actus etiam inuariatus in intensiōe, eo moraliter censetur melior, ut alibi ostendi solet, ergo eo est præstantior dispositio.

Affirmatiua est pia.

Hæc sententia est pia, & apta ad excitandam deuotionem fidelium etiam postquam communicarunt, quamdiu probabile est species in stomacho permanere: iuxta quam si homo indispositus communicarit, qui propterea gratiam non receperit, eam recipiet si speciebus in stomacho permanentibus legitime disponatur.

II.

Negatiua defenditur.

Resp. tamen & dico uerius uidetur quod non detur aliquis effectus ex opere operato propter deuotionem eius, qui communicauit, remanentibus speciebus in stomacho.

Suppono utrovis modo Christum potuisse instituire, scilicet, ut gratia daretur tantum in sumptione, non uero postmodum, quantumuis homo perseueraret in deuotione, vel etiam deuotio auangeretur; vel ut auangeretur gratia, perseuerante, vel saltem accedente deuotione, speciebus in stomacho permanentibus. hoc supposito

Probat, conformis est principiis theologicis quod ratione vnus Sacramenti (saltem partialis) homini disposito semel tantum gratia conferatur, igitur in præsentia commodius dicitur, & proinde probabilius est quod ratione deuotionis gratia sæpius non detur, & quod initio collata non augetur.

2. Quantum ex Scripturâ licet colligere, gratia in hoc Sacramento conceditur propter eiuſdem manducationem, igitur post manducationem non uidetur concedi quantumuis species in stomacho

permaneant, & deuotio perseueret, vel augetur.

3. Ratione Sacramenti gratia non conceditur nisi Sacramentum ipsum cèleatur liberè recipi, & proinde solum uidetur concedi in hoc Sacramento, quamdiu remanet libertas in recipiendo; post tractionem autem non concurrimus liberè ad permanentiam ipsius Sacramenti in nobis, neque censetur liberè illud in nobis retinere, sed remanet naturaliter, siue uelimus, siue nolumus: unde non uidetur ratione talis permanentiæ aliquis effectus sacramentalis nobis conferri. Confir. si inscijs fumeremus Christi corpus, & postmodum rescieret nos illud in stomachum traieciſſe, & existimantes species perseuerare, excitaremus in nobis deuotionis actus, non uideremur gratiam ex opere operato cōsecuturi, ergo neque in casu dubij: quod enim ipsa sumptio sit vel non sit libera in ratione sumptionis sacramentalis, non facit, ut subsequens corporis præsentia in stomacho sit vel non sit causa posterioris gratiæ, si ergo gratia in vno casu non conferatur, non uidetur in alio augeri.

4. Ex oppositâ sententiâ uidetur sequi, quod homo peccet mortaliter, si uoluntariè distrahatur, & se conuertat ad alia, quamdiu species putantur in stomacho manere integre, quod est alienum à cōmuni sensu & nimis rigidum id sequi probatur, qui uoluntariè ponit obicem gratiæ per Sacramentum conferendæ, peccat mortaliter, ut patet tum in receptione aliorum Sacramentorum, tum in receptione huius; atqui iuxta aliam sententiâ uoluntariè distractus ponit uoluntariè huiusmodi obicem, ergo.

Nec uidetur satisfacere, qui dicit, legitime dispositum recepisse gratiæ augmentum, & huius Sacramenti effectum: quia si Sacramentum est collatum gratiæ non solum quando sumitur, sed etiam, quamdiu perseuerat in stomacho, non minus exigit dispositionem à nobis adferri, ut suum effectum iteratō conferat, quam postulat, cum fumeretur: nec minorem iniuriam censetur illi irrogare, si ratione nostræ indispositionis priuatur suo effectu, quam si priuatur, cum sumimus.

Ex his deduco, quod si hoc Sacramentum non reuiuſcat, ut communior habet sententia, non sit collaturum gratiam, si is qui sumpsit indispositus, postmodum disponatur antequam corrumpantur species, quia effectus huius Sacramenti solum recipitur in sumptione: unde si homo tunc non sit dispositus, nulla subsequens dispositio potest iuuare, ut effectus ex opere operato recipiatur per hoc Sacramentum.

Dices i. gratia in Eucharistiâ non solum uidetur conferri ratione sumptionis, sed etiâ ratione Christi in nobis existētis; ergo quamdiu species permanent in stomacho potest gratia conferri, si homo legitime disponatur, quia tamdiu in nobis est causa gratiæ.

Resp. neg. antecedens, quia ex Euangelio uidetur constare collationem gratiæ attribui sumptioni Christi seu manducationi, prout scilicet non dicit nudam actionem, sed etiam includit rem, quam manducatur; licet ergo Christus in nobis realiter maneat post sumptionem, tamen non confert illum effectum ex opere operato.

Dices, quamdiu cibus corporalis manet in stomacho confert ad nutritionem; ergo & hic cibus spiritualis.

Resp. neg. consequentiam, quia, ut superiori dubio ostensum est, tum cum cibus corporalis est in stomacho confert ad nutritionem uirtute caloris naturalis eam naturaliter operante, gratia uero

verò ratione huius cibi supponitur antea conferri ex diuinâ institutione, unde non est quod propter aliquam analogiam ad cibum corporalem dicamus gratiam tamdiu conferri, quamdiu perseuerant species.

Obiectio: Dices 2. Ioannis 6. Christus dicit: *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.*

Resp. Respondeo hunc locum potius nobis fauere, quia quod maneamus in Christo per gratiam, & ille in nobis, tribuitur manducationi carnis ipsius.

Obiectio: Dices 3., ratione actualis deuotionis censetur continuari voluntaria sumptio.

Resp. id non videri posse dici, quia deuotio non efficit, ut corpus Christi propriè sumatur voluntariè, vel ut censeamur voluntariè retinere, siue enim velimus, siue nolumus, in nobis remanet, quæ per manentiam non comparatur ad ipsam deuotionem & ad eam complacentiam per modum effectus, sed per modum obiecti, unde ratione illius non possumus censeari voluntariè continuare sumptionem sacramentalè.

ARTICVLVS II.

Vtrum effectus huius Sacramenti sit adeptio gloriæ.

Resp. affirm. **A**FFIRMAT.

Notandum, quod licet adeptio gloriæ dici possit effectus cuiuscunque Sacramenti, immo & cuiuscunque operis meritorij gratiæ, quatenus id omne quod est causa gratiæ, in semine, & radice est causa gloriæ, peculiariter tamen huic Sacramento gloriæ adeptio tribuitur, cum enim sit specialiter institutum ad spiritualem animarum nostrarum refectionem & nutritionem, quæ conferuetur vita animæ, constat speciali titulo ademptionem vitæ animæ illi tribui, cum specialiter ei tribuatur perseuerantia in gratiâ & præseruatio à peccatis; similiter, cum hoc Sacramentum sit Sacramentum vnionis, & charitatis, quæ facit, ut qui se mutuo amant, non solum affectu coniungantur, sed etiam effectû, & amicus amicum admittat ad consortium suorum bonorum, sequitur quod Christus ratione huius Sacramenti speciali titulo nos admittat ad vitam æternam. hinc Ioan. 6. dicit: *si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* neque tantum speciali titulo est causa gloriæ ipsius animæ, sed etiam corporis, & resurrectionis, iuxta id quod eodem cap. dicitur: *& ego resuscitabo eum in nouissimo die.* qui ergo dignè sumunt Christi corpus, & Christo per charitatem remanent coniuncti, habent pignus gloriæ tum animæ, tum corporis, tum resurrectionis eiusdem corporis; & speciali titulo præ alijs, qui illud non sumperunt, vel saltem non sumperunt dignè, resurgens; quod etiam docet Irenæus lib. 4. contra hæreses cap. 34. *quomodo dicunt carnem corruptionem deuenire, & non percipere vitam, quæ a corpore Domini, & sanguine alitur? & infra: corpora nostra Eucharistiæ percipientia iam non sunt corruptibilia spem resurrectionis habentia.* contumelia tradunt alii, vbi

Notandum, quod non imprimatur aliqua qualitas corpori virtute huius Sacramenti, ratione cuius in vitam resurgat; id enim absque fundamento fingeretur; sed resurrectio corporum eo sensu tribuitur sumptioni Eucharistiæ, quod Deus ratione illius censeatur adesse iustis ad corpora illorum resuscitanda, & perducenda ad immortalitatem.

ARTICVLVS III.

Vtrum effectus huius Sacramenti sit remissio peccati mortalis.

SUPPONITUR Christum, qui in hoc Sacramento continetur, habere virtutem ad remittenda quaecumque mortalia, hoc tamen supposito

Prima conclusio est, quod accedens cum conscientia peccati mortalis, non percipiat effectum huius Sacramenti.

Secunda conclusio, si quis in mortali existens, cuius non habet conscientiam, deuotè accedat ad hoc Sacramentum, consequetur peccati mortalis remissionem.

Ex his conclusionibus deducitur hoc Sacramentum, per se loquendo, non esse institutum ad deletionem peccati mortalis; unde si peccator ad illud accedat cum conscientia peccati mortalis, non consequetur peccati remissionem.

Quid verò sit iuxta D. Th. accedere cum conscientia peccati mortalis, est vt cumq; difficile videtur enim ita intelligere, vt idem sit habere conscientiam peccati mortalis, quod habere affectum peccandi mortaliter; ex solutione tamen secundum satis patet conscientiam peccati mortalis non posse ita accipi, quia ex eâ solutione constat accedentem ad baptismum cum conscientia peccati mortalis, posse per illum eiusdem remissionem consequi, quod nullo modo dici posset, si accedere cum conscientia peccati mortalis idem esset quod accedere cum affectu eiusdem: certum enim est nullum posse etiam per baptismum consequi peccati remissionem, qui ad eum accedit cum affectu peccati mortalis: accedere ergo cum conscientia peccati mortalis, est accedere cum notitia de peccato mortali commissio, vel saltem cum morali persuasionem, cuius non existimatur haberi dolor sufficiens ad peccati remissionem: quia verò ita accedens ad hoc Sacramentum peccat mortaliter, S. Thom. in illâ ratione secundum subiectam materiam docet eum accedere ad hoc Sacramentum cum conscientia peccati, qui accedit cum affectu saltem virtuali peccandi mortaliter, quod in præsentia, materialiter loquendo, verum est.

Ex quo elicitur, quod conscius peccati mortalis, quantumvis sibi in eo non complaceat actu, peccet mortaliter, si accedat ad hoc Sacramentum sine contritione saltem bonâ fide existimata (excepto rarissimo casu de quo paulo post) & non consequatur effectum huius Sacramenti, atque adeo hoc Sacramentum non sit institutum per se ad remissionem peccati mortalis. quæ doctrina est communis Doctorum & certa, quam tradit Trid. sess. 13. cap. 2. his verbis: *sumi autem voluit Sacramentum hoc, tanquam spirituales animarum cibum, quo alantur, & confortentur viuentes vitâ illius, qui dixit: qui manducat me, & ipse viuet propter me; & tanquam antidotum quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præseruemur.* vbi aperte indicat hoc Sacramentum non esse institutum per se ad primam gratiam, & remissionem mortalium conferendam. Quod rursum tam in prædicto capite, quam in Flor. innuatur, cum docetur esse spirituales cibum, & quoad vitam spirituales id in nobis operari, quod cibum corporalis quoad vitam corporalem.

Confit. ex vsu Ecclesiæ, quæ publicis peccatoribus non ministrat hoc Sacramentum, nisi edant signa penitentiae.

Nec

Coroll.
15.

Coroll.

Quid sit accedere cum conscientia peccati mortalis, difficile videtur D. Th.

Quo sensu verum esse possit dicere D. Th.

Coroll.

Trident.

Florent.

Patres intelligi possunt de remissione venialium, vel de præservatione à mortalibus.

Nec repugnant Patres, qui docent nos per hoc Sacramentum consequi remissionem peccatorum, quia possunt intelligi de remissione venialium. aliqui etiam solum agunt de præservatione à mortalibus. 3. alij non tam agunt de Eucharistia, ut est Sacramentum, quam, ut est sacrificium. quod quâ ratione dicatur in remissionem mortaliū offerri, infra dicitur.

Ex his patet, per se loquendo; peccatorem non legitime accedere ad hoc Sacramentum, nisi remissionem peccatorum sit consecutus. sed est

D V B I V M.

Num hoc Sacramentum peccatum mortale nunquam deleat, & primam gratiam sanctificantem conferat?

16.

Varij modi, quib. se habere potest peccator accedens ad hoc Sacramentum.

NOTANDVM, quod peccator accedens ad hoc Sacramentum varijs modis sese habere possit. 1. potest inuincibiliter ignorare suum peccatū, nullumq; illius dolorem elicere. 2. etiam si ignoret statum peccati, in quo versatur, potest elicere dolorem de peccatis, qui non pertingat ad perfectionem contritionis, sed sistat in ratione attritionis supernaturalis aptæ ad obtinendam remissionem culpæ per baptismum, vel penitentiam. 3. potest quidem advertere se commississe peccatum mortale, cuius remissionem non sit consecutus, simul tamen bonâ fide putare dolorem, quem elicit, esse contritionem, cum à parte rei sit tantum attritio iam descripta. 4. denique etiam cognoscens suum statum non conatur elicere perfectam contritionem, bonâ fide existimans peccatori sufficere attritionem, ut dignè ad hoc Sacramentum accedat, eiusque fructum percipiat. hoc prænotato

Dux sunt de præsentī quæstione sententia.

Prior sententia nunquam conferre primam gratiam. Bonau. Gabr. Posterior, interdum conferre. Rich. Adrian. Caiet. Viti.

Prior est hoc Sacramentum nunquam conferre primam gratiam sanctificantem. ita Bonau. dist. 13. parte 2. dist. art. 1. quæst. 2. Gabriel. dist. 9. quæst. 2. art. 2. conclus. 1. & alij tum antiqui, tum recentiores.

Posterior censet interdum remittere peccatum mortale & primam gratiam conferre. tenet Rich. dist. 9. art. 2. quæst. 1. Adrian. quæst. 1. de Eucharistia §. pro responsione, Caiet. art. 1. huius quæst. §. secundus igitur effectus, Vict. num. 77. & plures tam antiqui quam recentiores, videturque sancti Thomæ in fine corporis dicentis: alio modo etiam perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cuius conscientiam, & affectum non habet. forte enim primò non fuit sufficienter contritus, sed de notè, & reuerenter accedens consequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati: id enim non videtur intelligendum de actuali dilectione & charitate, sed de habituali.

17.

Hæc sententia videtur verior, pro qua

Conclus. 1. Non cōsequitur gratiam, si non sit salte attritus.

Dico 1. quātumvis peccator inuincibiliter peccatum ignoret, si tamen nullam habeat illius saltē attritionem, per hoc Sacramentum non consequetur gratiam, & peccati remissionē. Ratio est quod nulli in peccato mortali cōstituto remittatur peccatum sine formali, vel saltē virtuali penitētia.

Confir. peccatum mortale non remittitur per baptismum, aut penitentiam absque aliquâ saltē attritione, cum tamen hæc Sacramenta ad illius deletionem per se sint instituta: ergo multo minùs potest deleri per Eucharistiam absq; eadē attritione.

Dico 2. probabilius est hoc Sacramentum posse interdum conferre primam gratiam sanctificantem, atque adeo delere peccatum mortale. quia aliquis in mortali constitutus ignorans peccatum potest accedere cum attritione supernaturali, per quam reipsa detestetur peccata, etiam quorum conscientiam non habet, cum implicito saltē emendationis proposito: similiter potest cum attritione accedere is, qui scit quidem se peccasse, sed tamē bonâ fide putat huiusmodi dolorem cum Sacramento Eucharistie sufficere ad culpæ remissionem. vel 3. potest is, qui nouit cōtritionem exigi in peccatore ad dignam huius Sacramenti perceptionem, bonâ fide existimare se accedere cum contritione perfectâ, cum tamen solum habeat attritionem defectuam. His omnibus casibus videtur Sacramentum primam gratiam conferre: nam in illis accedens ad Sacramentum non peccat, ut passim partim docent, partim supponunt Theologi contra Maiorem, & de cetero attritio videtur sufficiens dispositio, ut peccatum per Sacramentum deleatur & infundatur gratia.

Probat, Sacramenta ex se sunt causa gratiæ, igitur illam possunt conferre non ponenti obicem: sed qui in casibus conclusionibus est attritus, nullum obicem ponit, cum non peccet ut supponimus: macula autem peccati non videatur obesse, quia per attritionem detestatur peccatum, & de illo cōcipit penitentiam, quamvis imperfectam, quæ se solâ quidem non possit esse causa remissionis peccati, disponat tamen, ut causâ gratiæ collatiua illud tollat.

Ex his duabus conclusionibus constat aliquem posse recipere Eucharistiam, qui nec peccet, nec tamen gratiam consequatur, ut si quis in mortali existens, qui sibi non est conscius peccati, bonâ fide accedat sine attritione sufficiente etiam cum Sacramento ad peccati deletionem: & ita censent vtriusque sententiæ Doctores.

Contra secundam conclusionem Obijcit 1. quod Concilia videantur hunc effectum negare Eucharistie, ut patet ex Trid. & Flor. citatis circa art.

Resp. neg. non enim ideo illius effectus videtur non meminisse quod eum negarent, sed primò quod non conferent esse effectum per se huius Sacramenti, ad quem ex peculiari sua ratione sit institutum. secundò quod hic effectus non esset certus, cum de illo discrepantes sint Theologorum sententiæ; Concilia autem prudenter ab huiusmodi quæstionibus controuersis solent abstinere.

Obijcit 2. quod hoc Sacramentum sit institutum, tanquam cibus, atqui cibi non est vitam primò tribuere, sed conseruare.

Resp. 1. inde sequi, quod hoc Sacramentum ex sua peculiari institutione vitam animæ primò non tribuat, non verò sequi, quod ne quidem per accedens possit tribuere modo explicato. vnde

Resp. 2. discernere esse inter Eucharistiam, & cibum corporalem, quod hic vitam in se non habeat, & proinde illam non possit tribuere non habenti: nam cibus corporalis non agit in nostram substantiam ut in eam conuertatur, sed potius patitur, cum ipsa vis naturalis animæ medijs suis instrumentis illum in substantiam aliti conuertat: cibus autem spiritalis animæ, scilicet Eucharistia, habet in se vitam, & eam in animâ operatur. vnde mirum non est, si non tantum possit vitam spiritualem animæ conseruare, sed etiam illam aliquo casu primò tribuere. hinc licet cibus

corpo-

corporalis nequeat mortuum suscitare, potest tamen Eucharisticus mortuum vitam gratiae viuificare.

Obijciatur 3. hoc Sacramentum est viorum, igitur solis uiuentibus vitam spirituali gratiae confert suum effectum.

Resp. neg. consequentiam, quando enim dicitur Sacramentum viorum, solum designatur primò, quòd per se non sit institutum ad remissionem mortalis, & ad vitam spirituaalem primò conferendam. 2. quòd per se loquendo, nullus possit dignè ad illud accedere, qui sciat se mortuum, non verò designatur, quòd mortuus reipsa spiritualiter nunquam possit per illud viuificari.

Obijciatur 4. quòd, vt iam dicimus, hoc Sacramentum per se non sit institutum, vt primam gratiam conferat ex opere operato, neque possimus colligere esse vilo modo institutum. quòd Probatur, institutionem Sacramenti ad aliquem effectum debemus colligere vel ex sensu Ecclesiae, vel ex Patribus, vel ex significatione Sacramenti, cum Sacramenta sint causa sui effectus per significationem, atqui ex nullo tali principio possumus colligere Sacramentum Eucharistiae vilo modo institutum ad remittendum mortale.

Resp. neg. posteriorem partem assumpti, eiusque probationem, nam ex generali conditione, & virtute quam scimus competere Sacramentis, possumus colligere Sacramenta viorum, & inter ea hoc Sacramentum, posse interdum primam vitam tribuere, quam licet non significet ex sua speciali ratione, ad illam tamen potest ordinari ex ratione generali.

Contra: non aliter nobis innotescit Sacramentum aliquod gratiam conferre, quam quia ad certum finem confert, & per modum talis, vel talis gratiae, v.g. regenerationis in baptismo, reconciliationis in penitentia &c. ergo non possumus colligere Eucharistiam aliter conferre, quam tanquam nutritiuam.

Confr. optimè potest consistere, quòd conferat gratiam, nunquam tamen mortuo, sed viuo vitam spirituaalem.

Resp. neg. consequentiam, quia licet Eucharistia respiciat gratiam, vt nutritiuam, tanquam effectum, ad quem ex speciali institutione refertur, tamen ex conditione subiecti potest esse non nutritiuum actu, sed collatiuum potius esse spirituale; tunc est contratio gratia in baptismo collata interdum non confert actu primum esse spirituale, quamuis ex se posset illud conferre. Ad confirmationem

Resp. ita quidem fieri posse, sed aliter fieri non est improbabile, vt ex dictis patet. videri possunt dicta quaest. 62. art. 1. dub. 3.

ARTICVLVS IV.

Vtrum per hoc Sacramentum remittantur peccata venialia?

AFFIRMAT, patet ex Trid. sess. 13. cap. 2. vbi dicitur, quòd sit tanquam antidotum quo liberemur à culpis quotidianis. Probat etiam D. Th. ex eo quòd hoc Sacramentum sumatur per modum cibi, & alimentis, vnde quemadmodum cibis corporalis restaurat id quod actione caloris naturalis paulatim deperditur, ita per hoc Sacramentum restauratur id quod per peccata venialia

calore concupiscentiae in animà deperditur. 2. ex eo quòd Sacramentum hoc sit Sacramentum viuinis, & charitatis; vnde cum per veniale feruor charitatis minuatur, per hoc Sacramentum debent tolli venialia, quatenus per illud excitatur actus charitatis per quem peccata venialia deleantur.

Notandum 1. D. Th. existimare venialia posse duobus modis per hoc Sacramentum deleri. 1. immediate ex opere operato, videturque insinuare ita delere culpas veniales, vt ad hoc nullo opus sit voluntatis motu, quo feramur in illas per dolorem & detestationem, sed sufficiat quòd actu non afficiamur ad illas (quamuis infra q. 87. art. 2. in corpore, aliquem motum requirat) quòd expresse tradunt aliqui. 2. mediatè, quatenus ratione huius Sacramenti dantur auxilia actualia, & gratiae praeventientes quibus excitemur ad unionem cum Christo: vnde licet ratione alicuius alterius Sacramenti concedantur huiusmodi auxilia, quibus non solum possumus vitare mortalia, sed etiam venialia, vt ratione baptismi, & penitentiae, & ita remissio venialis posset illis hac ratione tribui, specialiter tamen tribuitur huic Sacramento, quia specialiter ordinatur ad feruorem charitatis in nobis excitandum, qui feruor repugnat venialibus.

Notandum 2. responsione ad 2. insinuare omne peccatum veniale posse per hoc Sacramentum deleri. patet, si responsio conferatur cum argumento. & verò si in iusto non requiratur actualis aliquis motus in peccatum veniale, vt illud per hoc Sacramentum tollatur, facile patet posse omne peccatum veniale in aliquo existens deleri per hoc Sacramentum, cum aliquis in gratia constitutus possit ad hoc Sacramentum accedere, qui non adhuc affectu obiecto venialiter malo, neque per negligentiam venialiter peccet: cum enim iuxta illud principium non sit potior ratio vnius quam alterius, sequitur eo casu omne peccatum veniale deleri. de quo principio, & modo quo peccatum veniale deleatur, commodius dicetur in materia de penitentia.

ARTICVLVS V.

Vtrum per hoc Sacramentum tota pena peccati remittatur?

EUCHARISTIA non solum habet rationem Sacramenti, sed etiam sacrificij, quòd prodesse potest etiam alijs. de posteriori consideratione infra dicendum. hoc praemisso

Respondet duabus conclusionibus.

Prior est, quòd pena pro peccato debita non remittatur directè per hoc Sacramentum, quia non est institutum ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum.

Posterior est, quòd homo ex consequenti possit consequi remissionem alicuius pena per hoc Sacramentum. explicatur, quia hoc Sacramentum est institutum ad feruorem charitatis excitandum, seu ad excitandos actus, quibus uniamur Christo per charitatem, & deuotionem, qui actus iuxta deuotionem operantis delent aliquam partem pena tanquam satisfactorij, fit, vt ex consequenti & mediatè per hoc Sacramentum pena remitti possit, non quidem tota, sed iuxta deuotionem, & feruorem operantis.

Ex qua

Venialia possunt duobus modis deleri per hoc Sacramentum, iuxta D. Th.

21.

22.

Resp.

Ex quâ antithesi inter culpam venialem & penam satis patet D. Thom. art. præcedente velle Eucharistiam delere culpam venialem non solum mediâ, seu per gratias præuenientes excitando; sed etiam immediatè ex opere operato, alioquin nulla esset diuersitas inter remissionem culpæ venialis in hoc Sacramento, & remissionem penæ.

Ex eadem doctrinâ patet D. Th. censere peccatum veniale aliquando remitti remanente integrâ penâ ratione illius debitâ.

Notandum ex eo quod hoc Sacramentum non sit institutum ad satisfaciendum, non videtur sequi non operari remissionem penæ. nam etiam baptisimus per se loquendo non est institutus ad satisfactionem (scilicet directè) sed ad deletionem culpæ originalis & actualis, & tamen per illum tollitur pena peccatis debita ex opere operato. similiter etiam aliquid penæ peccatis venialibus debita tollitur per penitentiam ex opere operato, antequam accedat satisfactio, non videtur ergo quidquam obstat, quod minus per hoc Sacramentum remissa culpâ veniali aliquid penæ remittatur, ut aliqui sentiunt.

Obiectio. Dices non sunt instituta duo instrumenta ad penam ex opere operato remittendam, cum ergo per sacrificium pena ex peccatis relicta remittatur ex opere operato, non debet dici remitti per hoc Sacramentum.

Resp. Resp. dist. consequens, nam si intelligatur, quod non debeat per se deleri, & independentè à remissione culpæ, concedo consequentiam, quia non videtur pena ex peccatis iam ante remissis relicta deleri per hoc, vel etiam penitentiam Sacramentum: si verò intelligatur quod nunquam remittatur quidquam penæ, dum remittitur culpa venialis, cui annexa est huiusmodi pena, nego consequentiam, & ad antecedens dico, quod licet non sint instituta duo instrumenta ad penam immediatè delendam, tanquam ad suum effectum primarium, institui tamen possint duo, quorum vnum directè illam deleat, alterum verò ex consequenti, ut patet in baptismo. videtur autem, quod Deus remittens culpam venialem in hoc mundo semper aliquid penæ illi debita condonet.

Videtur
Deus remittens culpam venialem aliquid penæ condonare.

Nec obstat quod pena remanens post peccatum non opponatur feruori charitatis vel augmento gratiæ, quia non dicitur remitti propter aliquam similem repugnantiam, sed propter rationem allatam.

ARTICVLVS VI.

Vtrum per hoc Sacramentum præseruetur homo à peccatis futuris?

Resp. affir.

AFFIRMAT: quod etiam quoad mortalia traditur à Trid. sess. 13. cap. 2. docente esse *mandatum*, quo à peccatis mortalibus præseruemur. id verò præstat partim per habitus infusos, quibus mens roboratur in bono, partim per gratias præuenientes, quibus excitamur ad actus deuotionis, charitatis, & vnionis cum Deo, partim per confessionem Dæmonis.

ARTICVLVS VII.

Vtrum hoc Sacramentum profit alijs, quàm sumentibus?

RESPONDET, quod licet consideratum in ratione sacrificij alijs profit, in ratione tamè Sacramenti profit solis sumentibus, de priori parte infra agendum; posterior quæ est huius locis propria, patet ex eo quod Sacramenta suos effectus ex opere operato solis recipientibus ipsa Sacramenta conferant. Dixi, ex opere operato, quia satis constat communionem quæ est insignis religionis actus, & iniusto meritorio, posse alteri per modum impetrationis prodesse, similiter & per modum satisfactionis de congruo.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum per veniale peccatum impediatur effectus huius Sacramenti?

HIC articulus faciliè patet ex dub. 1. art. 1. vbi dictum est non impediri, peccatum tamen veniale, quod in ipsâ receptione committitur per distractionem, impedit actuale spirituale dulcedinem, quæ per hoc Sacramentum obtineri potest.

QVÆSTIO LXXX.

De usu, seu sumptione huius Sacramenti.

ARTICVLVS I.

Vtrum distinguì debeant duo modi manducandi corpus Christi?

RESPONDET rectè distinguì, alius enim modus est manducandi sacramentaliter, alius spiritualiter, vbi

Notandum illos modos ita posse accipi, ut vnus alium excludat, vel ut differant tanquam imperfectum & perfectum: nam possunt ita sumi, ut manducare sacramentaliter sit reipsa Sacramentum sumere, sed sine fructu spirituali, quâ ratione sumunt ij, qui indignè ad hoc Sacramentum accedunt, siue reipsa peccent, siue ratione bonæ fidei excusentur à nouo peccato. manducare verò spiritualiter dicatur is, qui desiderio & exercitio virtutum hoc Sacramentum appetit, quamuis reipsa nonumat. Possunt etiam ita sumi, ut manducare sacramentaliter sit Sacramentum sine effectu sumere, spiritualiter autem manducare sit illud ipsum Sacramentum cum fructu spirituali percipere, qui modus est perfectior. & quamuis D. Th. videatur hoc secundo modo intelligi, ut patet ex corpore & responsione ad 2. reipsa tamen neutro modo intelligitur, sed tertio, quo is dicitur spiritualiter manducare qui consequitur fructum Sacramenti, id est vnitur Christo per gratiam & charitatem, eique incorporatur, siue id fiat per realem susceptionem huius Sacramenti, siue absque Sacramenti receptione, pro quo rursus

Notandum manducationem spirituales varijs modis cōtingere. 1. si quis reipsaumat hoc Sacramentum